

quantum quivimus ex opusculis eorum memoria re- A Quod si his noluerit assentire, nec plurimum te-
tinere, scripta per vos notescenda mandavimus. stium, si producti fuerint, assentire curabit.

LIGINIANI, CARTHAGINENSIS EPISCOPI,
EPISTOLA III, AD VINCENTIUM EPISCOPUM

EBOSITANÆ INSULÆ.

Contra eos qui credebant epistolas de cælo cecidisse in memoriam sancti Petri Romæ,

(Nunc primum edita ex Ms. Ecclesiæ Toletanæ.)

Inter varias tribulationum angustias non nos pi- B
guit, cogente charitate Christi, hæc qualiacunque
sunt, ad Sanctitatem vestram verba dirigere, insi-
nuantes accepisse nos litteras tuas, et de vestræ
ospitatus bono gavisos. Sed in id non minime con-
tristati sumus, quod litteras cujusdam, quas ad nos
direxistis, sicut tuæ indicant litteræ, suscepis, et
de tribunali populis eas feceris ammittari. Ego enim
mox a te transmissas accepi, in præsentia ipsius
perlatoris exordium litterarum ipsarum legens; et
non patienter ferens, nec dignum ducens nœnias
ipsas perlegere, statim scidi, et eas in terram pro-
jeci, admirans quod his credulus fueris, et post pro-
phetarum vaticinia, et Christi Evangelia, apostolo-
rumque ejus Epistolas, nescio cujus hominis litteras
sub nomine Christi factas, ejus esse credideris; ubi C
nec sermo elegans, nec doctrina sana poterit re-
periri.

In principio ipsius epistolæ legimus ut dies Domi-
nicus colatur. Quis enim Christianus, non propter
ipsum diem, sed propter resurrectionem Domini
nostri Jesu Christi, eo quod in ipso a mortuis resur-
rexit, reverendissimum non habeat? Sed, quantum
sentio, ideo novus iste prædicator hoc dicit, ut nos
judicare compellat, ut nullus sibi in eodem die
necessaria victus præparet, aut viam ambulet. Sed
hoc quam pessimum sit, Sanctitas tua perpendat.
Utinam populus Christianus et die ipso ecclesiam non
frequenter, aliquid operis faceret, et non saltaret.
Meliusque erat viro hortum facere, iter agere, mu-
lieri cotum tenere, et nou, ut dicitur, ballare, sal-
tare, et membra a Deo bene condita saltando male

torquere, et ad excitandam libidinem nugatoribus
cantionibus proclamare.

Absit ergo a Sanctitate tua hoc credere, ut epistola
nunc nobis mittantur a Christo. Sufficiat enim quod
locutus est in prophetis per se ipsum, et per suos
apostolos. Nam et his non litteras trans mittebat e
cælo, sed Spiritu sancto eorum corda replebat. Ex-
ceptis enim decem præceptis, quæ in tabulis lapideis
mirabiliter data sunt, ad nullum prophetarum aut
apostolorum Epistolæ missæ sunt de cælo. Non igitur
credas quæ nunquam facta leguntur: quæ etsi
facta essent, post prædicationem Evangelii jam nec-
cessaria non sunt. Et si forte ipsum nomen novum te
delectavit, quia ipsa epistola, sicut simulator scrip-
psit, de cælo descendit super altare Christi in me-
moria sancti Petri apostoli, scito diaboli esse figmen-
tum, et omnem scripturam divīnam, epistolam, aut
epistolas esse cœlestes, et ad nos de cælo fuisse
transmissas.

Emendet ergo quod temere credidit Sanctitas tua,
et in præsentia populi ipsam epistolam, si est penes
te, rescinde: et hoc te pœniteat quod de tribunali
eam feceris recitari, beati apostoli sequens doctri-
nam, quod inter cætera ad Galatas scripsit: *Si quis
evangelizaverit vobis præter id quod accepistis, an-
thema sit.* Sed et illud Evangelium omnis lex et pro-
phetæ usque ad Joannem prophetaverunt. Deinceps
si qua nova vel inusitata divulgata fuerint, omnino
abjicienda et detestanda Sanctitas tua noverit. Ora
pro nobis, domine sancte et in Christo charissime
D frater.

ANNO DOMINI DLXXXVI.

SANCTUS VERANUS.

OBSERVATIO SIRMONDI IN SEQUENS FRAGMENTUM.

Satis apparet hanc sententiam in synodo aliqua dictam a Verano episcopo. Sed cujus sedis fuerit episcopus, Codex
sancti Germaini, unde excerpta est, non exprimit. Cum hoc loco intexeretur, veniebat in mentem Veranus Cabellicen-
sis episcopus, qui proximo synodo Matiscoensi subscribit. Nunc vero aptius tribui posse videtur Verano Lugdu-
nensi, ad quem exstant Hilari papæ epistolæ, ab eoque tum dicta, cum in synodo provinciales suos affaretur.